

tem, quæ sentit & scit suam securitatem, idque vi climatis cutem machinæ formantis: cur deinde simul nihil habet in se fiducia, cur non est superior dolore, cur est adeo hic non secura, ut ipsum etiam esse grave sit ipsi?

Interrogare igitur jam licet, cui vitio climatis resistere leges debeant, cum utique opposita vitia generet clima? an apud Indos debent leges obsistere fugæ mortis, an audaciæ? an actioni apud Anglos continenti, an continenti cessationi? Leges natæ ex caractere animi, caractere animi secum pugnans natus ex climate, quomodo poterit componere caracterem animi vitiosum ex climate secum pugnantem? æque parum ac principium *Socialitatis Puffendorffianum* natum ex appetitu commodandi & nocendi potest temperare eundem appetitum pugnantem. Vid. *Larva detracta* Cap. XIII.

125. Denique is auctor, qui Capite V^o dixerat, malos legislatores esse, qui climatis vitiis obsecundant, bonos, qui eis resistunt; nunc Capite XII. ipsemet vitiis climatis obtemperat. Crimen inter humana maximum, sui ipsius interfectio, legibus puniri nequit, quia est *morbis climatis*, qui hanc machinam ad id

impellit. Debent ergo cedere climati leges. Ita rem stultam fecere Cæsar cum omnibus Imperii Germanorum principibus, cum in recessibus Imperii leges non unas contra potatores rogarent: est enim apud hos ebrietas *morbis climatis*, qui machinam hanc Germanam inebriat. Ergo leges etiam aliorum populorum debent cedere vitiis aliorum climatum. Et consequenter Auctor in sua defensione male se excusat, se de legibus & usibus populorum non loqui tantquam eas pro maximis & regulis habeat; sed tantum narrative per modum historici referre quales sint, & cur ita sint; non quales esse debeant.

126. In eadem defensione sua, cum auctori objectum esset, Indos ex climate delicatos, nihilominus mortem non pavere, atque adeo ex climate contraria sequi, respondet sic, pag. 66. „ In hac objectione nihil philosophiæ reperitur. An ignorat Criticus contradictiones „ spiritus humani, & quomodo „ is sciat separare res maxime „ conjunctas, & unire res maxime „ xime separatas? „ Jubet deinde legere reflexiones super hoc à se factas in Capite tertio. Quas nos legimus & inanes esse docuimus supra.

127. Sed

127. Sed an ignorat auctor hanc defensionem suam nihil dicere? Objiciuntur ipsi contradictiones *climatis*; is excusat has esse contradictiones *spiritus*. Cum igitur spiritus caracter secundum auctorem sit caracter climatis, contradictio sive contradictorius caracter spiritus, est etiam contradictio climatis. Fecisset clima aliam cutem, spiritus haberet alium caracterem. Clima non affecisset fibras contrarie, spiritus non sensisset contraria. An vero spiritus sentit suo modo suoque genio, quaecunque sit clima etiam oppositum? Ergo spiritus caracter est spiritui proprius, non climate, fibris, & cute natus. Aliàs quomodo machina Anglica ex defectu filtrationis succi ad *nullam actionem* apta, & animæ communicans difficultatem existendi, potest spiritui relinquere facilitatem audendi, confidendi in sese, hoc est animositatis & *Courage*? Aut si clima Indorum cutem afficiens, & *caracterem spiritus ad omnia incapacem* reddens nihilominus eidem spiritui relinquit capacitatem ad audendam rem terribilissimam, nempe vivorum exustionem? debet clima Indi relinquere capacitatem etiam ad omnia alia minus terribilia audendum. Verbo in his Auctoris

principiis quilibet ex quolibet facientibus non tantum parum sed *nihil est philosophiæ*.

128. Taceo aliquam multa auctoris pulcre sed vane de climate dicta. „ Japonos, ait Lib. XIV. „ Cap. XV. habent *caracterem* „ tam atrocem, ut iudicibus & „ pœnis omnia debeant esse plena. At Japonos eidem climati cœli subsunt, cui Sinenses, mites tamen & obnoxii. Multo aptior ad caracterem Japonum atrocem generandum causa sunt ipsæ atroces leges, quæ cum à suspiciosissimis principibus & tyrannis latæ fuerunt, omnia faciunt suspicionibus plena, & accusationibus. Impone Japonibus Principes Europæos, mites, generosos; da leges humanas; elapso certo annorum numero Japonos mitefcient, abhorrebunt ab iis pœnis & suppliciis, quæ nunc corde tranquillo oculisque non averfis spectare sustinent. Hæc nempe vitia sequuntur, ubi Auctoris principia audiuntur, ubi non clima legibus emendatur, sed leges à climate legem accipiunt. Deinde si Auctor serio dixit: *malos legislatores esse eos, qui vitia climatis sequuntur*, cur non agnoscit, malas esse leges Japonum? Ut bonæ sint, debent atrocitati Japonum resistere, tanquam vitio climatis: Atrocitati autem animi non

non resistitur majore atrocitate legum, nisi belluas præ te habeas. *Duro con duro non fa il buon muro*, dicit Italus. Ne tygrides quidem mitescunt verberibus sed magis efferantur. Clima Russorum & Moscorum nostris diebus oportet valde à pristino diversum fuisse, aut oportet leges Petri novas valde malas esse; quia vidimus amplum hoc Imperium velut subito immutatum his ipsis legibus è reliqua Europa, hoc est ex alieno climate desumptis adeoque *impropriis* huic populo huic climati: id quod auctor damnat in universum.

129. Cap. II. ejusdem libri XIV. ubi fundamenta suæ de climate doctrinæ jactat, ait „ In religionibus frigidis modica erit „ (propter clima nervos & cutem formans) „ ad voluptates sensibilitas: major in regionibus temperatis, extrema in fervidis. Sicut climata distinguuntur per gradus latitudinis, ita, ut sic dicam, possent distinguere per gradus sensibilitatis. „ Id quod deinceps ad omnes characteres animi extendit, ut hi secundum climata differant. Sed ex hujus auctoris decreto deinceps Cosmographi climata longe diverso ordine determinabunt. Hactenus climata

ab æquatore ad polum differant. Nunc climata procedent ab initio undecunque lubuerit sumpto, dextrorsum, laevorsum, ab ortu, ab occasu, recta & obliqua via. Vis determinare clima ex servitute, aut servitutum à climate? duces lineam à polo arctico ad æquatorem, in qua siti sint Mosci, Turcæ. Ab hac linea ad Orientem sunt Persæ, qui utuntur mancipiis, sed minus. Sequuntur Indi, ubi servitus est maxima. Excipiunt Sinenses, ubi libertas. Sic nempe distinguuntur climata secundum *longitudinem* Geographicam, quæ aliàs in eodem argumento morali distinguuntur secundum *latum*. Cum tamen ipse Auctor Lib. XVII. Cap. III. Unum clima valde calidum tribuat Turciæ, Persiæ, Indiæ, Sinis, Coreæ & Japoniæ: quarum major pars subiecta est Zonæ temperatæ Cosmographorum. Zona temperata aliàs producit *libertatem*, in Asia autem producit *servitutum*. Ergo aut Zona temperata non est, aut Zona characterum causa non est, aut Zona eadem libertatem æque ac servitutum creat, & auctor ex eodem ore calidum & frigidum fundit. Bella principia, quæ ex quolibet quilibet faciunt. Non est opus ceteris secum pugnantibus diutius immorari.

130. Quæ

130. Quæ libri XVII. Cap. V. habet, nihilo plus valent. Sinenses ex climate servos & subiectos esse debere vult. „ Tartaros contra dominos; quia „ Sinenses Colonia in Tartariam „ olim missæ mutatae sunt penitus in Tartaros & inimicos juratos Sinensium. „ Clima fecit ex filiis hostes. Sic haud dubie Japonæ ex climate facti sunt hostes Sinarum ex quibus Originem ducunt. Sic ergo Græcæ Colonia in Asiam minorem, in Siciliam, & Italiam missæ debuerunt fieri hostes Græcorum. Sic cur post mille annos Romani subegerint Asiam tanquam hostes, causa est, quod Trojani exules Æneæ Socii Latino climate degenerantes armati contra Asiam fuerint. Ita Germanæ Colonia antiquitus in Galliam missæ, & postea Gallicæ missæ in Germaniam, ut Colonia Bojorum, climate hostes effecti sunt. Eundem in modum Americani populi sive ex Asia sive alia orbis parte illuc delati immortales debent conservasse inimicitias. Et ingens illa Hispanorum multitudo totam Americam jam colens, Hispaniam ipsam paulo post subigat necesse est; quia clima ex Hispanis fecit Americanos hostes Hispanorum irreconciliabiles. In media nostra Germania partes

nationum à natione principe variis artibus separatæ, inimicitias in nationem principem maximas alunt: nec possunt aliter, quia clima licet idem, nihilominus animos in contraria deformat & adigit. Sophisma non nisi unicum toto libro suo commisisse dici potest auctor, nempe fallaciam *non causa ut causa*. Hostes sunt populi? Clima est causa. Amici sunt? Causa est clima idem. Christiani sunt? Clima fecit. Turcæ sunt? fecit clima idem. Idque quod cutem tendit & nervum, creat leges, Religionem, omnia.

131. Libro XVIII. ubi de influxu telluris in leges agit, Capite III. statuit hanc regulam: „ Regiones non sunt cultæ secundum proportionem fertilitatis suæ, sed secundum proportionem libertatis. „ Sunt enim regiones liberæ habentes formam imperii Aristotelis vel Democraticam, quæ magis excoluntur: qualis est Hollandia & Batavorum. Sed sunt aliæ ibidem liberæ, minus tamen cultæ. Cur ergo ex libertate potius cultura, quam culturæ neglectus sequatur? Polonia vastissimum regnum liberum est, & nemini suaferim ut Polono dicat, patriam suam liberam non esse. Nihilominus auctor eodem capite dicit:

G

„ Par-

„ Partes temperatissimæ in Per-
 „ sia, Turcia, Moscovia, &
 „ Polonia non potuerunt se re-
 „ stituere ex vastationibus, quas
 „ ibi ediderunt Tartari majores
 „ & minores. „ Non ego mi-
 „ ror Russorum Turcarumque ter-
 „ ras nondum esse cultas; servi
 „ enim sunt climate. Sed Poloni
 „ inter hos fere medi, & climate
 „ liberi cur terras nondum colue-
 „ rint, id mirum videbitur, si ve-
 „ ra est auctoris regula, terras pro
 „ portione libertatis coli. Verum
 „ non latet auctorem, Ukrania
 „ solitudinem aut *Steppe* sic dictam
 „ seu confinia trium illorum imperi-
 „ orum *desolata* vastaque relinqui
 „ non spiritu servitutis, sed *Spiritu*
 „ *libertatis*, ne alterum imperi-
 „ um alteri facile subiciatur.
 „ Quemadmodum enim populis
 „ minus fortibus sufficit pro limite
 „ jugum montium, aut fluvius, &
 „ saepe rivus; ita potentissima hæc
 „ regna quinque dierum solitudi-
 „ nem pro limite sibimet constitue-
 „ runt. Quemadmodum Germani
 „ veteres, teste Cæsare, non spi-
 „ ritu servitutis sed libertatis acti
 „ pulcherrimum existimarunt fines
 „ quam latissime vastos habere &
 „ multorum dierum circa se solitu-
 „ dinem fecisse. Idem Germani
 „ eodem climate, quo nos viventes,
 „ idem quod nos solum pre-
 „ mentes liberi certe fuerunt; cum

nostrer populus, paucis exceptis
 principibus omnia sine modo &
 mensura ad se trahentibus, sit
 servus; iidem inquam Germani
 quamdiu veterem servarunt li-
 bertatem solum habuere incul-
 tum, horridum silvis, squalli-
 dum paludibus, ferarum nobis
 jam ignotarum cubile frequentis-
 simum. Nunc Dominatu Prin-
 cipum pene despotico (videatur
 libellus Anno 1748. editus,
 titulo: *Das die Universal-Mo-
 narchie von Europa überhaupts,
 und besonders von Deutschland
 die größte Glückseligkeit wäre*)
 quantum distat Germaniæ no-
 stræ cultura ab illa vetere! A
 sexaginta dierum continentibus
 silvis redacti sumus ad nuditatem
 & lignandi difficultatem permag-
 nam. In ceteris rebus, in vi-
 nis, in oleribus & frugibus exo-
 ticis, in hortis, in pomis varia
 arte deformatis usque ad delicias
 excolimur, in necessariis alge-
 mus. An climate id nostro? an
 libertate? an servitute?

132. In sequentibus quoque
 capitibus nihil cohæret. Causa
 tot nationum *ferarum* in Ameri-
 ca est fertilitas terræ Cap. IX.
 Eadem fertilitas terræ causa est,
 cur in universum homines sint
molles, & cur Saxones non sint
 æque boni milites Cap. IV. O-
 portet igitur Scandinaviam, simul
 val-

valde fertilem fuisse & valde ste-
 rilem, quia produxit tot natio-
 nes pugnaces. Aut Romanus
 ager bonos milites non potuit
 ferre, quia fertilis: & siculi ho-
 dieque erunt pugnacissimi & vitæ
 incuriosi, quia fertiles &c. Æque
 falsa & prodigiosa sunt cetera, hi-
 storia novæ veteriq; repugnantia.

Ultimo Capite XXX. hu-
 jus libri decimi octavi de le-
 gibus ex solo telluris nascenti-
 bus in gratiam Sacerdotum
 affuit centonem hunc: „ Apud
 „ populos *Barbaros* Sacerdotes
 „ ordinarie aliquid possunt; quia
 „ tum habent auctoritatem,
 „ quam debent tenere à Reli-
 „ gione, tum potentiam, quam
 „ ipsis apud similes populos dat
 „ superstitionis. „ Quæ si sunt ve-
 „ ra totus mundus Barbarum se
 „ esse mirabitur: non enim fuit na-
 „ tio, quæ Sacerdotibus non mul-
 „ tum potestatis permitteret. Græ-
 „ ci, Hebræi, Ægyptii, Indi,
 „ Afri, Galli, Germani, Britanni
 „ & nunc & olim Barbari sunt,
 „ hac sola ratione è Barbarie eva-
 „ dent, si neque Religione neque
 „ superstitione ducti Sacerdotibus
 „ concesserint. Barbari præ cete-
 „ ris Romani, qui augures & Pon-
 „ tifices non tantum admiserunt ad
 „ comitia, sed comitia illis penitus
 „ subdidere. Princeps augurum
 „ solvebat comitia, idem summos

magistratus loco & potestate mo-
 vebat, ut refert Tullius de Le-
 gibus. Ite jam Romani cæci,
 alios populos præ vobis Barba-
 ros dicite. Discite ex auctore
 spiritus legum, ejicere trabem
 ex oculo vestro, manum in ve-
 strum sinum mittite, inveniatis
 ibi Barbariem multo adultiorem.
 Hoc quidem de Roma antiqua.
 At hodierna Roma est centrum
 & fons Barbariei & ipsa substan-
 tialis barbaries.

Ceterum vide lector prudens.
 Qui lixas, calones, cerdones,
 proletarios in Concilia admit-
 tunt, politi sunt: qui Sacerdo-
 tes, Episcopos, Pontifices, sunt
 Barbari. Politus est hic auctor:
 admitteret forte etiam meretri-
 ces: quis enim politus exclude-
 ret bellum sexum (*le beau sexe*;)
 sed tantum politiæ habere pro
 ministris DEI contra politiæ est,
 est barbarorum turpitude. Bar-
 barus haud dubie etiam Christus,
 qui sædo solæcismo politico pi-
 scatori ausus est concedere vim
 cælumque terramque ligandi.
 Barbaris tantum hæc religio con-
 venit; sed alterius tantum pla-
 netæ incolis Barbaris: nam Bar-
 bari hujus planetæ eam admitte-
 re non debent; quia clima eo-
 rum & solum fortasse non admit-
 tit.

133. Nam ne excufatione fua (de Christiana Religione fibi Sermonem non effe) utatur auctor, finis Capitis facit, in hæc verba. „ Neque debes mirari, „ fi inde ab initio primæ ftirpis „ Regum Francorum vides Epi- „ scopos arbitros iudiciorum, „ infertos comitiis Nationis, fi „ tantum influunt in decreta re- „ gum, & fi tantum ipsis adjici- „ tur prædiorum. „ Quare non debes mirari? quia illo tempore & natio & reges Francorum Barbari fuerunt, hoc est Pastores. Nam „ Inter populos feros & „ barbaros hoc est discriminis, „ quod priores ordinarie fint „ venatores, alteri pastores „ dicit auctor Cap. XI. Libri hujus XVIII. Loquitur ergo non tantum de Religione Christiana auctor fed etiam quibusnam populis ea conveniat pulcre docet, nempe Barbaris. Igitur tum Galli incipient effe homines politii, civiles, comes, honesti & bene eruditi cum Sacerdotibus abripiant prædia, cum Episcopos è comitiis ejicient. Quod cum Galli, cum Germani, Angli, Sueci aliique adhuc non fecerint, Barbari adhuc funt Galli, Barbari Germani. Exterminatis autem Sacerdotiis num lætior fit reditura facies, hujus non est loci exquirere. Paulus vo-

lebat de Altario vivere. Apage Paule à Gallis; non funt Barbari Galli, qui Sacerdotibus tribuant. à Tartaris hoc exige & Irokis.

II.

De Spiritu Legum qui dicitur nasci in naturalibus ingenii humani.

134. Auctor Libro decimo nono hanc telam orditur, eique hunc titulum præfigit: *De Legibus in respectu, quem habent ad Principia, que formant Spiritum generalem, mores & modos alicujus nationis.*

Plura hic inter se distingui debent, si vel parum soliditatis (justesse d'esprit) hic titulus habet. Aliud enim funt *Leges*: aliud funt id quod leges habent, nempe *respectus*: aliud funt id ad quod est respectus, nempe *Principia* formatricia: aliud funt id quod per principia formatur, nimirum *Spiritus generalis*. De ceteris autem addubito, num ea distinguat auctor, & quomodo? modica enim qua semper utitur ratiocinandi & sermonem effe- rendi accuratio semper suspensos nos habet. *Spiritus generalis, mores & modi nationis* si funt res eadem nescio.

Di-

Distinguere ea videtur Cap. IV, ubi elegantem & accuratam suo more definitionem spiritus generalis edit. In titulo enim capitis quærit: *Quid sit spiritus generalis?* & mox promittit hanc definitionem: *Pluribus à rebus homines gubernantur, à Climate, à Religione, à legibus, à regulis, maximis Regiminis, ab exemplis rerum ante-actorum, à moribus, à modis: ex quibus formatur spiritus generalis inde resultans.*

Hinc patet ab auctore distingui spiritum generalem à moribus, modis, legibus, maximis &c. tanquam effectum à causa. Item distingui inter se mores, leges, modos; quia si non distingueret, hæc non essent *plura*, sed *unum* quod gubernat homines.

Patet hinc etiam, auctorem reliquisse intactam illam quæstionem, quam in titulo proposuerat, nempe *quid sit spiritus generalis?* Nullo enim ne verbulo quidem definivit spiritum generalem, sed solas enumeravit causas, è quibus oriatur spiritus legum. Usque hodie igitur per auctorem nescimus, quid sit spiritus generalis nationis. Hoc autem ignorato, quomodo possumus leges nostras huic spiritui conformare? Ex hoc fiet, ut alius hoc, alius aliud pro spi-

ritu generali habeat, legesque eidem conformare studeat: qui omnes ad contraria & contradictoria sæpe tendentes, quomodo verum spiritum legum attingent? ad hoc autem aberrationis periculum deducuntur eleganti sed non solido auctoris ingenio.

135. Ut si quis ex me quærat quid sit summum bonum? egoque ei respondeam: variis rebus homo demulcetur, temperata aura, vino, venere, virtute, opibus; ex quibus formatur unum bonum generale, quod inde resultat. Ex hac inquam definitione neutiquam ego discerem quid sit summum bonum, sed causas tantum ex quibus bonum nescio quod summum crearetur. Egoque ex hac doctrina manerem indifferens ad summum bonum in aliquo horum constituendum, nempe aut in Venere cum Epicuro, aut in vino cum Aristoxeno, aut in opibus cum Euclione, aut in omnibus istis simul sumptis.

136. Videtur autem auctor neque in his simul sumptis, neque in eorum effectibus constituere Spiritum generalem, sed in illis divisim, sive in alterutro eorum, ita ut spiritus generalis alias consistat in moribus, aliàs in climate, alias in religione. Ait enim

G 3

enim